

studere incipiunt vel occurrentis casus solutionem quaerunt, parum juvat scire quis quid dixerit, modo doctrinam practice tutam clare expositam reperiant. Saepe etiam ex industria omisi nomina eorum qui sententiis hodie communibus adversati sunt, praesertim quando jamdudum eorum argumenta explosa et opera obliuione sepulta jacent. Hinc illud commodum oriturum spero, ne tirones oneroso eruditiois apparatu obruantur, nec de ipsa Theologia Morali (ut fit) minus recte sentire incipient, quasi Doctores de qualibet fere quaestione discordent : quod reapse primum est existimare legentem quosdam auctores, qui crebro paucorum opiniones, jamdiu obsoletas vel nulla solida ratione nixas, commemorant. Quodsi quis scire cupiat quinam sententiae communi patrocinati vel adversati sint, facile eorum nomina in operibus prolixioribus, praesertim in Theologia Morali praecipui ducis nostri, S. Alphonsi a Ligorio, reperiet.

Verum, ubi occurrabant quaestiones nullo S. Sedis documento, neque communi consensu dirempta aut e recentioribus adjunctis ortae, diligentius indicavi quinam auctores sententiae meae faveant vel adversentur. Ita enim fiet ut auditores mei non cogantur jurare in verba magistri et, quantum satis est, percipient quatenus hodiernae controversiae mentes Theologorum Moralium divisas teneant.

Tandem studui (quo successu, videant alii) nihil proponere quod solida ratione destitueretur vel cum sententiis in aliis harum Institutionum partibus receptis logice pugnaret. Atque, ut verbis S. Doctoris Alphonsi concludam : « In delectu sentiarum ingens cura mihi fuit semper rationem auctoritati praeponere. » (Monitum ad Lectorem, in capite Theologiae Moralis)

### Explicatio praecipuorum siglorum.

- S. Alph. S. Alphonsi de Ligorio Theologia Moralis. Citatur Editio Mechliniensis an. 1852. Adverte non esse in omnibus editionibus eumdem librorum ordinem.
- S. Alph. H. A. S. Alphonsi Homo Apostolicus instructus ad audiendas confessiones. (Lugduni, 1832)
- Bus. ap. S. Alph. Medulla Theologiae Moralis Hermanni Busembaum S. J. quam S. Alphonsus suae Theologiae Morali inseruit.
- Ball. P. Antonii Ballerini e Soc. Jesu Opus Theologicum Morale in Busembaum Medullam quod absolvit et edidit P. Dominicus Palmieri ex eadem Societate. Additur plerumque solus numerus, v. gr. 72 : is refertur ad partem correspondentem istius Operis, cuius ordinem fere sequuntur nostra Institutiones. Nisi contrarium dicatur, citatur prima editio.
- Coll. P. F. Collectanea S. Congreg. de Propaganda Fide seu Decreta, Instructiones, Rescripta ex tabulario ejusdem S. Congreg. deprompta. (Romae, 1893)
- Coll. S. M. Collectanea Constitutionum, decretorum, indultorum ac instructionum S. Sedis ad usum Operariorum Apostolicorum Societatis Missionum ad exterios. (Parisiis, 1880)
- Coll. Bizz. Collectanea in usum Secretariae S. Congr. Episcoporum et Regularium, cura Cardin. Bizzarri edita. (Romae, 1853)
- Coll. S. R. Decreta authentica Congr. S. Rituum ex actis ejusdem collecta ejusque auctoritate promulgata. (1898)
- Act. S. S. Acta excerpta ex iis quae apud S. Sedem geruntur.
- N. R. Th. Nouvelle Revue Théologique. (Tournai)
- Denz. Enchiridion Symbolorum et Definitionum editum ab Henrico Denzinger. (Wirceburgi, 1888)
- C. C. Codex Civilis Belgicus, qui idem est ac Gallicus seu Napoleonicus.

N. B. Nomina auctorum, si quando non integra citantur, facile complebuntur e catalogo auctorum ad caleem Vol. II. posito. Sigla quibus designantur variae Congregationes Romanae satis clarescent consulenti Vol. I. n. 155.

## PRAEAMBULA.

**1. DEFINITIO.** Theologia Moralis definiri potest : illa theologiae pars quae considerat actus humanos in ordine ad beatitudinem supernaturalem consequendam.

Ex hac definitione liquet quodnam sit Theologiae Moralis *objectum materiale*, nempe omnes et soli actus humani; quodnam *objectum formale*, nempe aptitudo actuum humanorum ut hominem ad beatitudinem supernaturalem ducant vel contra ab eadem removeant. Insuper ex hac ratione formalis sub qua actus humani a Theologia Morali spectantur, patet hanc scientiam uti, tamquam medio cognitionis, non tantum principiis rationis, sed etiam, et praecipue, lumine fidei.

**2.** Quo clarius intelligatur Theologiae Moralis natura, juvabit breviter considerasse qua ratione a praecipuis scientiis affinibus discrepet :

a) *A Philosophia Morali.* Haec directe nititur solius rationis principiis, ac proinde actus humanos considerat tantum in ordine ad finem hominis naturalem, quem finis supernaturalis plurimum excedit. Differt igitur a Theologia Morali tum objecto formalis, tum medio cognitionis.

b) *A Theologia Dogmatica.* Haec proxime intendit scientificam demonstrationem et illustrationem veritatum fidei christianaee ac perfectionem intellectus, dum Theologia Moralis, assumens illas veritates tamquam demonstratas, proxime intendit voluntatis subjectionem ac perfectionem.

c) *A Theologia Ascetica.* Haec spectat id quod est perfectionis, quo plenius et securius finis ultimus attingatur, non autem, ut Theologia Moralis, id quod est omnino necessarium ne quis a fine ultimo recedat.

d) *A Theologia Pastorali.* Haec e Theologiae Moralis et Asceticae principiis deducit practicam methodum qua pastor animas sibi creditas ad salutem et perfectionemducere debet.

e) *A Jure Canonico.* Haec scientia versatur circa leges, quibus ordo externus Ecclesiae determinatur et actiones fidelium diriguntur ad finem Ecclesiae proprium. (Aichner, Comp. Juris Eccl. § 3) Spectat igitur Jus Canonicum directe forum externum, Theologia Moralis, internum.

**3. METHODUS.** Primis undecim aevi christiani saeculis, multa quidem scripta, sive ab auctoritate ecclesiastica, sive a privatis viris concinnata sunt, quae fidelium mores regerent et speciatim administrando paenitentiae sacramento regulam darent. Attamen plena ac scientifica Theologiae Moralis expositio saeculo tantum XII<sup>o</sup> tradi coepit simul ac Dogmaticae quoque Theologiae Summas magistri Scholastici edidere. De qua lenta evolutione conferri potest Dissertatione a P. Zaccaria confecta, quam S. Alphonsus operibus suis praemisit, vel Introductio ad Theologiam fundamentalem D. Bouquillon.

Ex quo autem tempore integra Theologia Moralis, sive permixta Dogmaticae (ut in 2<sup>a</sup> parte S. Thomae), sive separatim edi coepit, *duplicem praesertim methodum* in ea tractanda distinguere est. *Prior*, quae *Scholastica audit*, in eo est quod principia scientiae moralis accurate demonstrantur, elucidantur, a difficultatibus vindicantur. Quare solidum fundamentum praebet cui tum casuistae, tum ascetae innitantur. *Posterior*, quae *Casuistica dicitur*, suppositis scientiae moralis principiis vel brevi eorum expositione praemissa, praecipue disputat quid in singulis vitae adjunctis, praesertim in difficilioribus et implexis, liceat vel non liceat, utrum bona actio sit strictae obligationis an meri consilii, utrum actio minus recta ad peccatum grave an ad leve tantum pertingat.

Praeter duplum hanc methodum, ab aliquibus AA. (Kleutgen, Theol. der Vorzeit, t. IV. p. 671 seqq.; Simar, Lehrbuch der Moraltheologie, p. 23) recensetur et *methodus Mystica*, quae media virtutem et sanctitatem acquirendi fuse proponat et ad ea adhibenda allicit. Qui tamen hanc methodum sequuntur libri potius inter asceticos quam inter theologicomorales reponendi videntur.

**4.** Quamquam ita duplum vel triplicem methodum distinguere juvat, saepe in eodem opere nunc huic, nunc illi insistitur; neque claro limite ab invicem separantur. Cfr. Kleutgen, I.c. Immo perfectio Theologiae Moralis postulare videtur ut aliqua ratione conjugantur. Nam ut scientia practica plene et solide tractetur, non sufficit accurata principiorum elucidatio (quod magis ad Scholasticam pertinet), sed insuper requiruntur tum enodatio applicationum difficiliorum (quod proprius ad Casuisticam accedit), tum explicatio plurium consiliorum quae ad seipsum aliasve securius et perfectius dirigendos conducant (quod Mysticam redolet). Quare sapientis est nullam ex his methodis parvi facere, sed pro natura argumenti nunc huic, nunc illi insistere. In hunc fere sensum scribit S. Alph. (l. 6 n. 628): "Qui ad hoc munus excipiendi confessiones inhiant, non facile sibi persuadeant quod satis idoneos ad tantum munus se reddere possint sine diuturno studio scientiae moralis; pro qua certe non sufficit aliquam percurrere Summulam earum quae circumferuntur;

nec salis est generalia principia hujus facultatis scire ut quidam qui, casuistas contemnentes, litteratorum arrogant sibi nomen, autunant. "

Quae verba S. Doctoris ut rite intelligantur, advertendum est istud "Casuistae", nomen duplice significatione usu venire. Priore sensu, designat illos auctores qui, neglecta fere omni scientifica principiorum expositione, toti sunt in solvendis subtiliter casibus, praesertim intricatis: qui sane merentur contemptum quocum nomen illud hodie usurpari solet. Posteriore autem sensu, tribuitur illis omnibus qui, nullatenus neglecta scientifica expositione, necessarium tamen duxere etiam difficiliores casus accurate excutere. Hoc sensu usurparunt illud nomen plurimi saeculi XVII<sup>i</sup> vel XVIII<sup>i</sup> scriptores, praesertim rigorismo addicti. Hi non dubitarunt asserere morum perversionem inter Christianos inde potissimum originem traxisse quod Theologi Casuistae (ut aiebant), subtilius de moribus disputantes, pristinam simplicitatem pervertissent; ideo, omissis illis inutilibus et noxiis controversiis, redeundum esse ad Sacram Scripturam et Ecclesiae Patres quibus hae subtilitates prorsus ignotae fuissent. Manifestum est hanc calumniam, qua impetebant primae notae Theologos, ut Sanchez, Suarez, Lessius etc. nullo solido fundamento nisi, quemadmodum fuse ostendit Zaccaria in praelaudata dissertatione. Vides Palmieri in Praef. ad Opus theol. mor. Baller. p. V.

**5. ORDO.** Ordinem sequemur qui plerumque convenit cum illa divisione quam in sua celeberrima "Medulla", statuit Busebaum. Studiosis enim ita praebebimus facilem tramitem et utilem concordiam cum S. Alphonso aliisque compluribus Doctoribus qui eadem via incessere. Summatim huc redit ordo iste: praemissis generalibus principiis de ordine morali ejusque violationibus (Theologia Moralis generalis), explicitantur singulae obligationes quae hominem christianum adstringunt (Theologia moralis specialis). Inter istas primum explicitantur quae omnibus incumbunt ob exercendas virtutes theologicas et servanda pracepta Dei et Ecclesiae; sequuntur eae quae ad quasdam particulares fidelium classes pertinent; tandem proponuntur officia e sacramentorum institutione oriunda. Concluditur opus brevi conspectu poenarum spiritualium quibus Ecclesia fidelium delicta coeret.

*Theologia Moralis generalis complectetur tractatus quatuor.*

- I. De Actibus humanis.
- II. De Conscientia.
- III. De Legibus.
- IV. De Peccatis.

*Theologia Moralis specialis complectetur tractatus quindecim.*

- V. De Praeceptis virtutum theologicarum.
- VI. De Praeceptis Decalogi.
- VII. De Praeceptis Ecclesiae.
- VIII. De Justitia et Jure.
- IX. De Contractibus.
- X. De Praeceptis particularibus.
- XI. De Sacramentis in genere.
- XII. De Baptismo.
- XIII. De Confirmatione.
- XIV. De Eucharistia.
- XV. De Paenitentia.
- XVI. De Extrema Unctione.
- XVII. De Ordine.
- XVIII. De Matrimonio.
- XIX. De Censuris et Irregularitatibus.

## THEOLOGIA MORALIS SPECIALIS

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN  
Biblioteca Valverde y Tellez